



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epistolai tu hagiū Isidōru tu Pēlusiōtu

Isidorus <Pelusiota>

Parisiis, 1585

Illustratus Chrysostomi locus in Hom. 9. in 2. Epist. ad Corinth. Cap. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71898)

taxat excellent, nihil à lucis differre: qui autem parem in vtraque laudem consecuti essent, eos verè ambidextros ac perfectos esse.

Illustratus Chrysofomi locus in Hom. 9. in 2. Epist. ad Corinth.

CAP. XIII.

ERANT Chrysofomi ætate nonnulli, quemadmodum & hac nostra tempestate non pauci, voluptatum illecebris ita deliniti atque corrupti, ut quæ de futuræ vitæ præmiis ac suppliciis Scriptura tradit, vel pro fabulis haberēt, vel certè parum admodum curarent. Eorum enim hæc verba erant: Da mihi hodiernum diem, & crastinum cape. hoc est, Sine me præsentis vitæ oblectamentis frui: tu verò futura bona tibi habe. Atque etiã, in re scilicet maximè seria iocâtes, his verbis à circo petitis utebatur: Si talia illic erunt, qualia ipsi dicitis, *ἐν αὐτῷ ἐνὸς γέγονεν, ἀντὶ δὲ μὴδὲν ὅλας ἦ, δύο αὐτῷ ἑδαιόσιν*. i. vnū pro vno extitit: sin autè nihil omninò sit, duo pro nullo. Quòd quidè perinde erat, ac si ad hunc modum loquerentur: Si vera sunt quæ de iustorum præmiis, & iniquorum suppliciis commemorantur, æqua conditione erimus. Nos enim præsentia habebimus, vos futura. Sin falsa & commentitia, nos quidem duplici nomine beati erimus, ut qui & in hac vita in omni voluptatum genere versati fuerimus, & in altero æquo nullas pœnas subituri simus: vos contrà duplici nomine miseri, ut qui & in hac vita magnos labores susceperitis, & in futura vita nihilo quàm nos meliøre conditione futuri sitis. At impiam hanc & Epicuream opinionem grauiſſimis verbis infectatur vir sanctissimus, ostenditque impiis non modò duo pro vno minimè fore (hoc enim à Dei iustitia abhorre docet), sed ne vnum quidem pro vno. Impiis enim ne in hac quidem vita bene esse posse, cum impuræ ac sceleratæ conscientiæ perpetuus comès sit metus, animique angor. Exciderat porrò ei, qui ante me hunc Commentarium Latinum fecit, vna linea, quæ totum hunc locum prorsus obscurabat. Nam post hæc verba, *ὁρᾷς ὅτι ἐν αὐτῷ ἐνὸς τῆσδε, καὶ ἔτι δύο αὐτῷ ἐνός: ἐγὼ δὲ σοὶ κατὰ τὸν δόξαν, ὅτι ἑδὲ ἐν αὐτῷ ἐνός, ἀλλὰ δύο αὐτῷ ἐνός* (vbi tamen legendum fortassè *αὐτῷ ἑδαιόσιν*) *ἕσται τοῖς δικαίοις*. i. Vidēsne quòd adhuc vnum pro vno sit, & nō duo pro vno? At ego infra hoc tibi ostendam, quòd ne vnum quidem pro vno sit, verum contrà iustis duo pro vno (vel, pro nihilo, potiùs) erunt. Hoc est, ut dilucidius id explicem, iam tibi, quisquis es qui circensè hoc dicto abuteris, illud præcidi, nulla piis post hanc vitam præmia, nullas impiis pœnas à Deo constitutas. Itaque iacet iam illud tuum, Duo pro vno. Ostendi enim id cum Dei iustitia ex diametro pugnare, ut quispiam & hinc vitiorum lenociniis ac voluptatum illecebris totum se tradat, & caelestibus ac sempiternis bonis quandoque oblectetur. Id quòd tu stulte tibi pollicebais, tremendum illud Christi tribunal in dubium reuocans. Nunc verò porrò progrediar, atque illud planum faciam, tibi tuique similibus, ne vnum quidem pro vno fore, hoc est flagitiosos & cōsceleratos homines non modò in altera vita miserrimo ac terribissimo statu fore, sed ne hic quidem suauem ac iucundam vitam habere: cum contrà ij, qui fidem ac iustitiam colunt, duo pro vno (ego tamen, ut dixi, *αὐτῷ ἑδαιόσιν* lege malim. i. pro nullo) habeant, hoc est, non modò sempiterna in caelo præmia consecuturi sint, sed hic quoque summa cum iucunditate ac tranquillitate viuant.

Laſinitus